

nem juratam, ait Pontifex: *Tutius esse, si matrimonium contrahat, & si postea velit, possit ante consummationem, Religionem ingredi.* Secus esset, si absolute vellet ingredi Religionem: nam tunc non teneretur matrimonium prius contrahere. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 43. n. 5. Gonz. in c. 16. de Spons. n. 2. in fin.* Qui post jurata sponsalia votum fecit Religionis ingrediendæ, hoc adimplere tenetur, cum enim, etiam sponsalibus initis, possit Religionem ingredi, etiam potest eam vovete: sed non tenetur, imò nec potest prius matrimonium contrahere animo non consummandi, & postea Religionem ingrediendi, quia se exponeret manifesto periculo consummandi, & consequenter violandi votum. Deinde, quia sic contrahens notabilem injuriam sponsæ irrogaret eam obligando innuptam remanere, donec ipse à Religione egredieretur, vel profiteretur in ea. *Glof. in c. 16. de Spons. N. Tutius. & ibid. Joann. Andr. & Hofstienf. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 43. n. 7. contra aliquos.* Si tamen puellam defloravit, vel non potest aliter injuriam, vel infamiam ipsi illatam refarcire, quam eam ducendo, ad hoc tenetur, quamvis postea non consummato matrimonio ad Religionem transire valeat: quin, & in matrimonio perseverare forte tenebitur, si hoc sit necessarium ad reparandum damnum puellæ illatum; nam hæc est obligatio justitiæ. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 44. ex n. 3. Laym. Perez, Henrig. & alij.*

84. Votum Sacros Ordines suscipiendi non dirimit sponsalia ante contracta, cum à nullo jure ipsis hæc vis, sicut professioni Religiosæ, concessa sit, & cum sit in præjudicium sponsæ, Deus non acceptat tale votum, etiam si sit de meliori bono. Et sic Ordinarij in praxi sponfarum oppositiones admittunt, quæ scilicet ordinandis objici solent: potestque sic vovens sponsalia implere, contrahendo matrimonium, nec tenetur Religionem ingredi, quod si ex aliqua causa sponsalia, vel matrimonium solvatur, tenetur sponsus votum adimplere. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 47. n. 3. contra Soto de Just. & jur. lib. 7. q. 1. art. 3. Henrig. & alios.* Si verò defecto, etiam invita sponsa, ordinetur sponsus, nec debent, nec possunt amplius matrimonium contrahere. At verò cum sponsus emittens tale votum censetur sponsalibus renuntiasse ex sua parte; sicut, qui vo-

tum Religionis emitit, tunc sponsa potest alteri liberè nubere, cum ex sua parte sint sponsalia soluta. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 47. n. fin.* Votum simplex continentia (excepto voto simplici Societatis post biennium edito ex Constitut. *Greg. XIII. Ascendente*) non habet vim matrimonij dirimendi; si quidem nullibi ab Ecclesia concessam esse constat; impedit tamen matrimonium contrahere. *c. un. de Voto in 6.* quia talis promissio, cum sit licita, & à Deo acceptata obligat promittentem ab omni actu venereo, etiam alias licito abstinere: & consequenter à matrimonio; non tamen irritat matrimonium, quia tantum fit promissio traditionis, non verò traditio corporis; ac proinde matrimonium postea contractum, quamvis illicitum, validum tamen est. *c. 4. e. 6. b. t. D. Thom. in 3. p. Supp. q. 53. art. 1. in corp. ibi: Votum simplex quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentia, tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi.* *Barb. in c. 3. b. t. Gonz. in c. fin. b. t. n. 7.* ubi plura concilia, & DD. refert. Si sponsalia jam sint contracta, non dissolvuntur per subsequens votum simplex castitatis ex parte vovens: si quidem Deus non acceptat promissionem in tertij præjudicium, ut in præsentem sequeretur comparti, cui violaretur fides, ut dicitur in *c. 5. h. t.* ac proinde inferitur, quod votum continentia post sponsalia emissum, ea non dirimit, nec in ipsis videtur imbibita conditio; nisi eligam statum continentia. Nam hoc gratis confingitur, at verò ex parte non vovens solvuntur, quia alter vovendo censetur sponsalibus renuntiasse, & aliunde notabilis mutatio est facta: nam per tale votum impeditur à debito conjugali petendo, & alteri imponeret onus semper petendi, quod grave est præcipue respectu feminae. *Sylv. Navar. Man. cap. 22. n. 27. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 46. ex num. 5. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. & alij, contra Soto, Henrig. Rodrig. Penc. lib. 6. c. 12. n. 4. & alios.*

85. Qui post votum castitatis virginem, vel viduam vi corrupit, tenetur eam ducere, si aliter damnum nequeat reparare; nam obligatio justitiæ pravaleat obligationi voti, & Religionis. Sed ad hoc debet præcedere Pontificis dispen-

pensatio, vel saltem Episcopi, si periculum sit in mora, & difficilis ad Papam recursus. Si mulier in copulam liberè consentit, & fuit conscia voti, etiam si sub spe matrimonij consensisset, qui votum emisit, votum, non matrimonium adimplere tenetur. Nam scienti, & consentienti non fit injuria. *c. 27. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 45. n. 5. & alij.* Si ignata voti, etiam sub promissione matrimonij consentit, & nullum grave damnum sequatur, vel si grave secutum est, aliter reparari potest, corrumpens, votum adimplere tenetur; non tamen cum ea contrahere, siquidem talis promissio matrimonij, ut facta de re jam antea per votum Deo obligata est invalida, sicut sunt invalida secunda sponsalia facta in priorum præjudicium. *Navar. Rodrig. Dicast. Laym. L. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 5. & alij, contra Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 45. n. 3.* Qui post votum castitatis matrimonium contrahit, tenetur reddere debitum conjugale comparti petenti, ne juri ab ea per matrimonio adquisito præjudicet: non tamen potest debitum petere ob votum castitatis. *c. 3. de Convers. conjugat. D. Thom. in 4. D. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 4. D. Bonav. & Scot. ibid. Sanch. de Matr. L. 9. D. 33. n. 5. plurimos citans.* Sed ne sit in continuo periculo votum violandi per petitionem debiti, consultius erit, si diu petitionem petat, vel à Papa, vel Episcopo, si difficilis sit recursus ad Papam, vel ab habente hujusmodi facultatem. Si verò post Religionis votum contrahat matrimonium, licet tunc peccet, quando matrimonium consummat, postea verò, reddita impossibili materia voti, licite potest reddere, & petere debitum, donec possit Religionem ingredi; v. g. per mortem conjugis, vel divortium. *Sanch. de Matr. L. 9. D. 33. ex n. 14.* qui citat *Cajetan. Sot. Henrig. & alios.* Votum non nubendi, vel suscipiendi Sacros Ordines post sponsalia factum, non impedit matrimonium contrahere. Si tamen ante sponsalia fiat hujusmodi votum, illicitum redderet matrimonium: quod si defecto contraheretur, non solum post matrimonium consummatum possent, qui talia vota emisissent reddere, & petere, ut contra *Cajet. Navar. & alios* tenent *D. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 2. §. 1. & alij,* sed etiam possent matrimonium licite consummare: quia objectum principale horum votorum est non contrahere matrimonium, vel Sacrum Ordine-

nem suscipere, qui matrimonium excludit, quod quidem jam per ipsum factum contrahendi est factum impossibile, ac proinde, & ipsa obligatio continentia, ut accessoria. *L. 129. ff. de Reg. jur. c. 42. eod. in 6. Sanch. de Matr. L. 9. D. 33. n. 22. Et D. 34. n. 3. In nostra Hispania crimen commissum à Clerico in sacris constituto, vel Religioso professo (idem est de Religioso Societatis post vota bienij) matrimonium contrahendo, sive palam, sive clam, reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat ex *Edicto Generali Inquis. Num. 8. O que si alguno, siendo Clerigo de Orden Sacro, ó Frayle professo, aya cañado.* Tales enim suspecti sunt de hæresi, & quidem in Italia de vehementi, in Hispania de levi, & sic abjurant. Et præterea regulariter mittuntur ad trirèmes per quinquennium, vel etiam pro ratione delicti poena augeri solet. *Casar. Carena de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 17. §. 3. Diana in Sum. N. Inquisitores, n. 167.**

## TIT. VII.

## De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

86. **A**gitur hic de impedimento criminis, quod dirimit matrimonium contrahendum inter duos fideles; vel saltem si unus sit fidelis: secus si contrahendum sit inter duos infideles: nam cum sit impedimentum Ecclesiastico jure indictum, non potest infideles ligare. *c. 8. de Divort.* sed unus saltem debet esse fidelis. Et tunc indirectè comprehendit infidelem; *arg. c. 1. de Convers. Infidel. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 79. n. 42.* Nam irritum matrimonio ex parte fidelis, nequit ex parte infidelis consistere. Inductum ergo est hoc impedimentum, ut ablata adulteris omni spe contrahendi matrimonium promissum, vel firmandi matrimonium attentatum incolamitati, & fidei matrimoniorum confunderetur: siquidem, nec solum vinculo matrimonij per mortem alterutrius adulteri conjugis, possent adulteri contrahere: & sic tollitur occasio captandæ mortis conjugis. In hoc quidem Titulo plures casus, quam in Rubrica continentur, comprehenduntur, adeo ut latius pateat *Nigrum*, quam *Rubrum*; 1. ergo contrahitur hoc impedimentum, si Cajus

v. g. committat adulterium cum Titia, cum promissione contrahendi matrimonium cum ea mortuo ejus marito. *c. 6. c. 7. c. fin. b. t. 2.* Si Cajus contrahat matrimonium cum Titia, invalide tamen, quia vivit ejus maritus, cum qua adulterium committit: & tam adulterium, quam matrimonium sit vivente ejus marito. *c. 5. b. t.* Ad hoc tamen impedimentum contrahendum non requiritur, quod matrimonium coram Parocho, & testibus celebraretur. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 8.* Hoc impedimentum non constituit, nec sola promissio matrimonij, nec matrimonium cum uxore alterius. *c. fin. b. t.* Nec solum adulterium cum alterius conjugis. *c. 6. b. t.* sed requiritur utrumque simul, scilicet adulterium cum matrimonio, vel saltem cum promissione matrimonij, superstiti altero conjugis. Nil tamen interest, an adulterium præcesserit, an subsequatur. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. ex n. 2.* Nec aliud probant Canones in *Caus. 31. q. 1. Et c. 1. b. t.* ubi videtur, adulterium solum continere hoc impedimentum. Nam in prædictis Textibus non prohibetur præcisè, ne adulter cum adultera contrahat mortuo ejus marito, sed ne contrahat ante peractam poenitentiam ob commissum adulterium. *c. 3. §. Hic sub audientium. c. 5. 31. q. 1.* Et cum constitutio inducens impedimentum sit odiosa, non debet extendi ad casum non expressum; *arg. c. 15. de Reg. jur. in 6.*

87 Ut impedimentum contrahatur, debet adulterium esse perfectum in sua linea; nec sufficit conatus, vel copula attentata, sed debet esse perfecta cum feminis immisione in vas foeminae: quia Leges poenales strictè sunt accipiendae. Sic contra *Hoffiens. in c. fin. b. t.* tenent *Glos. ibid. V. Cognovit. Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 2.* Item requiritur, quod adulterium sit formale, hoc est, quod uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum; *arg. c. 1. b. t. Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 3. Gonz. in c. fin. b. t. n. 4. & alij:* excusataque ab eo contrahendo ignorantia saltem probabilis, quae scilicet excusat ab adulterij culpa; non verò crassa, & supina. *Navar. Man. cap. 22. n. 46. Valent. Palas. & alij:* cum hoc impedimentum, non ut poena, sed potius ut remedium tollendi occasionem alterius vitæ insidiandi, sit constitutum. Excusant tamen crassam, & supinam ignorantiam tenent *Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 38. Gutier. cap. 105. arg. L. 43. ff. ad*

*Leg. Jul. de Adulteri* quia hæc ignorantia non juris, sed facti est; & quilibet ignorantia in facto consistens excusat. *c. 13. de Reg. jur. in 6.* Ut hoc impedimentum indicatur; promissio matrimonij debet esse pura, non conditionalis; vel saltem conditio, debet adimpleri ante conjugis mortem, debetque esse aliquo signo expressa ab una parte, & expressè acceptata ab altera, nec sufficit tacurnitas, siquidem ob consensum præsumptum non est imponenda poena; qualis est hoc impedimentum; *arg. L. 51. ff. Pro Socio. c. 14. de Penit. D. 1. Gutier. cap. 105. n. 28. Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 7. 22. & 25. Castropal. tr. 28. D. 4. p. 12. ex n. 8. & alij.* Non tamen requiritur expressio. *c. 1. & fin. b. t. Sanch. L. 7. D. 79. n. 24. contra Bellarm. & alios.* Nec requiritur, quod promissio sit jurata, sufficit enim simplex; nam in ea verificatur ratio timoris alienae mortis, nec jus exigit juramentum. *Barbos. in c. 1. b. t. n. 4. Gonz. in c. fin. eod. n. 4.* Tam adulterium, quam promissio matrimonij, vel matrimonium, debent esse vivente conjugis adulteri. *c. 1. c. fin. b. t.* Quod si utrumque non concurrat eo vivente non datur impedimentum, nec quidem quando sub diversis conjugijs fiant matrimonium, & adulterium. *v. g.* Titius conjugatus cum Seja promissit Marvæ matrimonium, & Seja mortua, contraxit cum Berthæ; & tunc cum Marvæ copulam habuit: non contraxit impedimentum cum Marvæ. *Abb. Sor. Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 6. Gonz. in c. fin. b. t. n. 4.* Et matrimonium, quod adulterio violatur, debet esse validum, etiam si tantum ratum sit. *c. 2. b. t.* Et etiam si per divortium sit separatus adulter a sua conjugis. *c. 4. b. t.* Si verò matrimonium quod violatur invalidum sit, non verè committitur adulterium, nec præstat impedimentum, cum de jure non sortiatur effectum. *c. 12. de Reg. jur. in 6. D. Thom. in 4. D. 35. q. un. Barb. in c. 2. b. t. n. 1. Sanch. L. 7. D. 79. n. 30. Gonz. in c. fin. b. t. n. 4.*

88 Qui cum aliqua contraxit matrimonium cum hoc impedimento, ab ea, etiam si filios habeat, separandus est: quia matrimonium est nullum: nec multiplicitas prolis, nec diuturnitas temporis peccatum minuit, sed augmentat. *c. 5. b. t. Barb. & Gonz. ibid.* Si tamen contraxit matrimonium, ignorante muliere, ejus primam uxorem vivere, post mortem primæ licite manet cum secunda. *c. 7. b. t.* siquidem ea ob ignorantiam non contraxit

impedimentum: nec ab ea est separandus; quippe indignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. *c. 1. b. t.* & cogendus est renovare consensum; siquidem matrimonium antecedens nullum fuit. *Barb. in c. 7. b. t. n. 3.* uxor verò cum sit decepta, & ignorasset, illum, qui cum ea contraxit, habere uxorem, potest ab eo discedere. *Barbos. in c. 1. b. t. n. 1.* Promissio sola matrimonij, vivente conjugis, licet non irritet matrimonium post illius mortem contractum, est graviter illicita. *c. fin. b. t.* Imò invalida: nec aliquam inducit obligationem, quia est inductiva occasionis captandæ mortis conjugis, sicut est nulla promissio Præbendæ non vacantis. *c. 2. de Consec. præbend.* Et pactum hereditatis, vivente. *L. fin. C. de Pañ. Sanch. de Matr. L. 7. D. 79. n. 40. & alij.* In summa: hoc impedimentum nascitur ex adulterio, perfecto quidem, & consummato conjuncto cum matrimonio; vel promissione matrimonij contrahendi post mortem legitimi conjugis, ex suppositione, quod sit acceptata ab altera parte, quamvis esset ficta; & quod tam matrimonij promissio, quam ipsum adulterium sint facta vivente conjugis adulteri; & quod matrimonium prius initum validum sit; & denique, quod uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum. *Sanch. de Matrimonio. L. 7. D. 79.* In hoc impedimento ex adulterio proveniente, si publicum esse, dispensat Papa: si occultum ad poenitentiam recurritur, & ipsa committit confessario eligendo per Oratores, ut injuncta salutari poenitentia dispense.

89 3. Oritur impedimentum criminis, quando alter conjugum, sive vir, sive foemina occidit conjugem proprium, vel conjugem complicitis, ita ut conjugicidium cum adulterio jungatur; tunc enim sive adulter, sive adultera, sive vir ipse uxoris mortem machinetur, nequit matrimonium consistere inter adulterantem, & conjugem superstitem. *c. 5. 31. q. 1. c. 6. qui filij sunt legit. c. 1. c. 3. c. 6. b. t. L. fin. t. 2. p. 4. Sanch. de Matr. L. 7. D. 78. n. 2. 4.* Quando intervenit homicidium ab ipsis factum, vel eorum iustus, aut consilio, sed sine adulterio, eo tamen animo, ut possint matrimonium contrahere, mortuo conjugis. *c. 1. de Convers. Infidel.* Et hoc impedimentum, cum tantum jure Ecclesiastico sit inducendum, non comprehendit infideles. Sed etiam si unus sit infidelis, & homi-

cidium sit factum à fidelis, vel saltem hic est particeps talis homicidii ab infideli commisi: quamvis à fidelis sit commissum, ut infidelis per matrimonium cum fidelis ad fidem convertatur, contrahitur impedimentum: eo quod tale damnnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. *c. 1. de Convers. infidel.* Et cum nequeat dirimi matrimonium ex parte fidelis, quin etiam ex parte infidelis dirimatur, hinc tale impedimentum indirectè comprehendit infidelem. *Gutier. de Matr. cap. 105. n. 6. Sanch. de Matr. L. 7. D. 78. n. 3. & alij.* Si tamen infidelis committat homicidium, quin fidelis sit particeps, cum tunc nulla infideli imponatur poena, à neutro incurritur hoc impedimentum. Insuper, ut hoc impedimentum incurrat, requiritur, quod tam adulterium, quam homicidium sit consummatum, & perfectum, & non solum attentatum. *c. 5. 31. q. 1.* Et licet aliquando dicatur homicidium machinatum, debet accipi cum effectu; *arg. c. 4. de Cleric. non resid. D. Thom. in 4. D. 35. q. un. Gloss. in c. 3. b. t. & ibid. Barb.* Nec sufficit mandatum conjugem occidendi, si mors non sequatur: imò nec ipsa mors, si non sequatur ex mandato: & homicidium debet fieri ex animo matrimonium contrahendi cum complice adulteri: nam si ex libidine, vel alia causa mors inferatur ab adultero non incurritur hoc impedimentum, quod est stabilitum, ne quis facile conjugem occidat adultera esse, cum ea contrahendi. *D. Thom. in 4. D. 37. q. 2. art. 2. Sanch. de Matr. L. 7. D. 78. n. 13. Barb. Gonz. in c. fin. b. t. n. 4.* Deinde adulterium debet esse non tantum materiale, sed & formale: hoc est, quod adulter occidens sciat, conjugem complicitem esse conjugatum. Nec sufficit, si uterque complex sit conjugatus, & talem se esse noverit, si alterum esse conjugatum ignoret. *Sanch. de Matrim. lib. 5. Gutier. Perez, & alij.* Item adulterium debet esse ante conjugis homicidium: nam post ejus mortem copula jam non esset adulterium ex parte ejus, cujus consuetudo occisus erat.

90 Profecto: ut contrahatur hoc impedimentum ex sola machinatione sine adulterio debet intervenire mors: si enim solum affectus, vel conatus, non verò mors effectivè secuta sit, non datur impedimentum. Et quidem mors debet esse orta ex tali machinatione: non secuta ex culpa, vel negligentia ipsius occisi, vel Medici, vel aliunde. *c. 5. 31. q. 1.* Non

tamen requiritur, quod physicè proprijs manibus mortem causent delinquentes, & machinantes; sed sufficit cooperatio moralis per mandatum, vel consilium. Item debet uterque machinari, nec sufficit, si unus tantum in mortem conjugis machinetur. *c. 1. de Convers. Infidel.* Nec sufficit ratihabitio necis factæ nomine unius conjugis. *Sanch. de Matrim. l. 7. D. 78. n. 6. Gonz. in c. fin. b. t. n. 4.* Et talis machinatio debet fieri animo contrahendi cum complice, non tamen est necessè, quod ambo contrahere matrimonium intendant, sat est unum hoc intendere: & hoc animo præsumitur in foro externo facta talis machinatio, seu mors, etiam quando aliquo signo externo non exprimitur. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 78. n. 19.* Omnes casus hujus tituli optimè à N.R. Alfonso explanantur in *L. fin. tit. 2. p. 4. ibi: La primera es, si qualquiera de ellos mataste, ò ficieste matar, ò fuisse en consejo de la muerte del otro marido, ò de la muger, con entencion que casassen despues en uno. La segunda, si aquel que yace con ella le jurasse, ò le prometiesse que casaria con ella, despues que fuere muerto su marido. La tercera, si alguno yoguiesse con muger agena, ò se casasse con ella, seyendo vivo el marido de ella, non valdria el casamiento, que antes oviesse fecho. Esto mismo seria de la muger, que ficieste adulterio con ome casado, en alguna de estas tres maneras sobredichas: fueras ende si alguno de ellos non supiesse, que era casado el otro, quando se caso con el.* Latè *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 78. & 79.*

91 In hoc impedimento, quando provenit ex homicidio, si publicum est, nec Papa dispensare solet; ut sic tollatur occasio captandæ mortis alienæ. Et idèo *Clem. VIII.* noluit in eo dispensare. Si occultum est, Sacra Pœnitentiaria ex gravissimis causis dispensat, commissa facultate confessorio ab Oratore eligendo; qui debet imponere delinquenti, gravem, & diuturnam pœnitentiam scilicet, jejunium, Missas, orationem, elemosynam, & alia hujusmodi pro anima defuncti. Et vix conceditur dispensatio, si veneno interveniente secuta est mors; quia plus est hominem veneno, quam gladio occidere. *L. I. C. de Malef. & Martem.* Hoc impedimentum criminis, licet aliquando in pœnam delinquentium sit inductum, non habet tantum rationem pœnæ, sed & inhabilitatis, sicut affinitas, etiam ex copula illicita proveniens. Et hinc etiam hoc delictum

committentes ignorent, ipsi esse annexum hoc impedimentum, ab ipsis incurritur; quia in matrimonijs præcipuè inspicitur, quid deceat, vel honestum sit. *L. 14. §. 2. ff. de Ritu nuptiar. L. 197. de Reg. jur.* Et semper decet, inter tales personas non contrahi matrimonium; & sic servatur in praxi. Excommunicatio verò, vel alia Censura Ecclesiastica, cum non incurrantur sine contemptu, & contumacia, & hæc in ignorante deficiat. *L. 50. ff. Locat. non incurrantur ab ignorante. c. 2. de Constitut. in 6.* quod aliter se habet in impedimento criminis; quamvis *Major. Palud. & alij;* tenent hoc impedimentum non incurri ab ignorante.

TIT. VIII.

De Conjugio leprosoform.

92 CUM in præsentem de Conjugio Leprosoform agatur, oportet aliquid de Leprosi, & de Lepra dicere. Leprosi semper fuerunt exclusi, & separati à cæterorum communicatione. Hinc cum Job esset Lepra percussus fuit extra Civitatem ejectus, & in sterquilino permanit. Nam hæc infirmitas est contagiosa non solum per contactum, sed & ad distans, quia fomitem relinquit. Lepra sic communiter definitur: *Est asperitas cutis cum pruritu, & corporis colligatione ex humore melancholico orta depascens profundas cutis partes infar squamarum piscium ex se mittens.* Et est triplex. 1. dicitur simplex, scilicet, quando est cum pruritu, & asperitate, & squamis. 2. dicitur mediâ, quando, scilicet, est cum majori pruritu, & squamis durioribus profundiora ulcera causans. 3. *fadissima* dicitur, quando, scilicet, humor, ita acer est, ut corrodat, cartilagine, & ossa, decidant capilli, anhelitus foetet, labia fiunt crassiora, vox rauca cum difficultate respirations reperitur, frons intumescit cum quibusdam eminentijs tuberosis. Et hæc dicitur *Elephantiasis*, seu *lepra Leonina*, quia leprosi cutis aliqualem similitudinem, quoad asperitatem gerit cum pelle Elephantis, vel Leonis palpebris. Matrimonium quidem consummatum, nec per lepram, nec per alium quemcumque morbum dissolvi potest, quoad vinculum. Siquidem indissolubile est Jure Divino. *Matth. 19. v. 9. c. 25. 32. q. 7. c. 1.*

b. t. l. 7. tit. 2. p. 4. ibi: *Nin aunque se ficieste gifo, id est leprosus.* Imò nec matrimonium ratum; nam hoc solum per Religiosam Professionem. *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat.* vel dispensationem Pontificiam valet dissolvi; & certè lepra potest esse justa causa talis dispensationis. *Sanch. de Matrim. l. 2. D. 16. num. 5.* Et sic intelligitur *Text. in c. 18. 32. q. 7. ibi: Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non voluit debitum viro reddere, quid ejus faciat conjugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentie vacaret, sed quia hoc magnorum est: illi, qui se non poterit continere, nubat magis.* Vel potius debet intelligi, non de infirmitate à lepra, vel alio morbo proveniente, sed ab ætitudine, ob quam fecunditas non potuit à viro cognosci; ac proinde, cum matrimonium ob impedimentum impotentia non fuisset validum, idèo marito permittitur, secundas nuptias contrahere, reddendo prius dotem mulieri, vel alia subsidia ex charitate ministrando. *Bellarmin. de Matrim. l. 1. c. 11. Gonz. in c. fin. b. t. n. 9.* Nec magis obstat *Textus in c. fin. b. t.* ubi Pontifex rogatus, an si unus sponsoform lepræ morbum incurrat, alter ad consummandam maritalem copulam compelli debeat, respondit, illum ad eam accipiendam cogi non debere, cum nondum matrimonium inter eos fuerit consummatum; nam clarè patet ex ipso Textu, agi, non de consummatione matrimonij per copulam, sed de perfectione matrimonij de præsentem per consentium, proptèr matrimonium à sponsalibus differt. *Gonz. in c. fin. b. t. n. 8.*

93 Si lepra maligna sit, & contagiosa, ita ut ex cohabitatione, & redditione debiti infectionis periculum timeatur, cum pro eo casu non se intendissent conjuges ad cohabitandum obligare, sic dicantè charitate, potest sanus à leproso divertere, quoad cohabitationem, & torum. *L. 7. tit. 2. p. 4.* Nec tenetur debitum reddere. Et cum juxta Medicos majus periculum imminet viro, quando mulier est leprosa, quam mulieri, quando vir leprosus est, hinc, quando mulier est in ultima specie lepræ, quæ dicitur *Leonina*, vir non tenetur reddere: si vir patiatur hæc itam, vel aliam gravem infirmitatem, ita ut sine periculo vite non possit reddere debitum, ad hoc non tenetur, cum charitas bene ordinata incipiat à semetipso. *Greg. Lop. in L. 7. tit. 2. p. 4.* Potest tamen sanus leproso debi-

tum reddere, etiam si timeat infici, quia huic periculo præponderat amor conjugalis, & vitæ incontinentia. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 14. n. 23.* Ii lepra, vel morbus sit talis, ut ex eo nullum, vel saltem leve contagiosis periculum conjugum imminet, tunc enim nequit sanus à leproso separari. *c. 1. c. 2. b. t. l. 7. tit. 2. p. 4. Nav. Man. c. 16. n. 25. Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 24. 17. Barbos. in c. 2. b. t. n. 2. Gonz. in c. fin. eod. num. 8.* Conjug sanus potest, & tenetur leproso debitum reddere, quando ipsi nullum infectionis imminet periculum. *L. 7. tit. 2. p. 4.* Licet hoc imminet proli, siquidem ipsi nulla sit injuria: imò favorem ex concubitu consequitur, scilicet, vitam; & melius est vitam cum lepra habere, quam carere vita. *D. Thom. in 4. D. 32. q. un. art. 1. ad 4. D. Bonav. Scot. Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 24. n. 25. & alij contra Medin. Palacios, & alios.* Etiam quando nulla timeatur infectio ex redditione debiti, si ob magnum horrorem, attentis circumstantijs tum gravitatis, & foetoris lepræ, tum complexionis conjugis sit sanus valde difficile reddere debitum; cum ad opus adeo difficile non teneatur, enim moraliter impossibile reputetur; *arg. L. 185. ff. de Regul. jur. c. 6. eod. in 6.* excusatur ab ejus redditione. *Sanch. de Matr. l. 9. D. 24. n. 21. l. 7. tit. 2. p. 4. Junctâ Gloss. ibid. Gregorij Lopez contra Sor. in 4. D. 32. q. un. art. 1. ad 2.* sed non facile est excusatur à cohabitatione, & alijs conjugialibus obsequijs, nam in eis non adeo, ut in concubitu imminet infectionis periculum. *L. 7. tit. 2. p. 4. ibi: Mas debel servir en las otras cosas.* Si conjug sanus ante matrimonium leivir conjugis lepram, cum credatur juri suo renuntiasse, non potest postea excusari à cohabitatione, vel redditione debiti; *arg. c. 2. b. t. ibid. Barbos. n. 4. Sanch. de Matr. l. 9. D. 24. n. 21.*

94 Quando lepra præcessit sponsalia, & conjug sanus non ignoravit leprosi infirmitatem, non potest à sponsalibus resilire; quippe qui suo juri renuntiasse censetur; nec scienti, & consentienti fit injuria. *c. 27. de Regul. jur. in 6.* Si ignoravit conjugis lepram, vel si hæc post sponsalia supervenit, sponsalia solvantur ex parte sani. *c. fin. b. t.* est jurata sint. Nam juramentum sequitur naturam contractus, cui accedit. *c. 25. de Jur. jur.* quia quando supervenit lepra, magna fit mutatio ex parte leprosi, quæ prævisa alter non contraheret; & idem est, quando

ignoratur; nam paria sunt in iure non esse, & non apparere. *L. 77. ff. de Contrab. Emptio. & ibid. Gothofr.* Si tamen sanus stare sponfalius velit, non potest leprosus resilire, ne retorqueatur in sani detrimentum, quod in ejus favorem introductum est. *c. 61. de Regul. jur. in 6. Barbof. & Gonz. in c. fin. h. t. Idem, quod hucusque de lepra diximus, intelligendum est de quocumque morbo contagioso, ut est lues venerea, seu morbus gallicus. Hispani: Buar. Tabes seu phthisis, id est ulcus pulmonis, ex quo hectica, seu febris consumptiva generatur; *arg. c. 2. h. t. L. 7. tit. 2. p. 4. Barbof. in c. fin. h. t. num. fin.* Qui hoc etiam extendit ad gravem infirmitatem incurabilem, ut Epilepsia supervenientem.*

## TIT. IX.

## De Conjugio Servorum.

UNUM sane ex impedimentis dirimentibus matrimonij est servitus, que nomine conditionis significari solet, si enim liber contrahat cum ancilla ignorans ejus conditionem, seu servitutem, nullum est matrimonium. *c. 4. c. 5. 29. q. 2. c. 2. c. fin. h. t. L. 1. L. 3. tit. 5. p. 4.* sic statuite Ecclesia ob magnam contractus inaequalitatem; & quia conditio servilis aliquomodo repugnat bonis Sacramenti. *D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 1. ad 1. D. Bonav. ibid. Barb. in c. 2. h. t. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 2.* Nam servus in domo Domini debet habitare, & mitti potest ad terras remotas, ut ibi vendatur: nec debitum potest reddere omnino liberè, sed quatenus Domini obsequia permittunt, nec bene potest prolem alere. Nam quidquid acquirit, Domino acquirit; nec bene eam educare: nam proles in Domini potestate, cujus est ancilla, non in potestate patris est. Si tamen conjux, postea cognita conditione servile consortis, matrimonium ratum habeat, & quidem coram Parocho, & testibus, ubi est admissum Tridentinum, quando impedimentum est publicum: secus si occultum: reconvalescit matrimonium; dum tamen renovetur contentus. *L. 1. L. fin. tit. 5. p. 4.* Nec sufficit ut olim. *c. 2. c. fin. h. t.* Copula conjugalitatis, quae ad peccatum excludendum praesumebatur matrimonij rati habitio. Potest ergo per novum consensum ratum habere, sicut à

principio potuit valere inter liberum, & servam. si conditio non ignoretur. *c. 4. c. 5. 20. quest. 2. c. 2. c. fin. h. t.* Nam licet Jure Civili hoc matrimonium reproberetur. *L. 3. C. de incest. & inatit. nupt.* Jure tamen Canonico sustinetur, quando servitus non ignoratur: quippe matrimonium non obligat ad debitum semper, & ubique reddendum; sed tantum, quando non excusat legitimum impedimentum. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 19. n. 13.* Liber tamen cum ancilla contrahens, cum fiat vilis, irregularitatem incurrit. *c. 15. D. 34.* Ignorantia, etiam culpabilis, & crassissima servitutis reddit nullum matrimonium: nam quicumque error facit involuntarium, vel saltem facit actum non voluntarium. Et hinc non valet matrimonium cum ad illud requiratur actus positivus directè voluntarius. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 20.* contra *Sotum, Lopez, & alios.* Qui ignorantè contrahit cum statu libera, cui scilicet ex certo tempore danda est libertas, si hæc brevi spatio, scilicet minori sex mensibus, danda sit, matrimonium valet; ut contra *Angelum, & Sylvester. V. Matrimonium, 8. q. 2. dist. 3.* tenet *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 4.* Secus si est dubium, an concedenda sit libertas, vel non: quia v. g. pendet à conditione, vel si longiori spatio, quam sex mensium danda sit: quippe ipsa absolutè est ancilla. *L. 9. ff. de Statu liber.* Si brevi tempore erit libera, non magnum sequitur præjudicium, nec æstimandum est dedecus, quod ex tali contractu cum serva sequeretur: nam etiam valet matrimonium cum libera, seu cum ea, quæ fuit ancilla, & postea manumittitur, etiam si à contrahente ignoretur esse liberam: quippe ipsa absolutè est libera. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 4. & 10. Barb. in c. 2. h. t. n. 3.* Hinc matrimonium contractum à libera cum servo adscripticio, qui cultura fundi perpetuo est additus: vel originario, qui ex adscriptio ortus est, cum verè liberi sint, etiam si libera ignoret illorum conditionem validum est. *Barb. in c. 2. h. t. n. 3. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 9.*

96 Si servus contrahat cum ancilla, quam credit liberam, vel cum libera, quam credit ancillam, vel è contra: ancilla contrahat cum servo, quem liberum credit, vel cum libero, quem credit servum, ex hoc errore non vitatur matrimonium; quippe etiam contrahens scisset veram conditionem alterius

compartis, adhuc consentiret in matrimonium: siquidem melior, vel saltem non deterior sit ejus conditio, in casu quo erat. *L. 3. tit. 5. p. 4. D. Thom. D. Bonavent. Scot. Hostiens. Joan. Anar. Abb. Navarr. Man. c. 22. num. 33. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 23.* Quando liber incius servitutis contrahit cum ancilla; vel libera contrahit cum servo, cujus Dominus servitutem taceat, vel occultet ex dolo, & studio (secus si ex simplicitate quantumcumque culpa lata interveniat) ratione doli, & gravis injuria, quam proculdubio Dominus servi sua malitiosa taciturnitate infert contrahenti, amittit illius dominium, & talis servus favore matrimonij libertatem acquirit. *Auth. Ad hoc. C. de Latin. libert. voll. L. 1. tit. 5. p. 4.* ubi videtur, quod quæcumque taciturnitas, etiam non malitiosa sufficit, ut servus libertatem adquirat. Et tunc valere matrimonium, etiam contractum ab inficio conditionis servilis tenent. *Joan. Anar. Sot. Henric. Palacios, & Sanch. de Matr. L. 7. D. 20. n. 14.* Nam cum per ipsum matrimonium adquirat servus libertatem, idem moraliter est ac si liber cum libera contraheret: ac proinde debet valere matrimonium. Sed contrarium tenendum est cum *Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 1. & alij*, quod expresse habetur in *L. 1. tit. 5. p. 4. ibi: E maguer, que dice de suso, que el servo se torna libre, por que ve, o sabe su Señor, que se casa, è lo encubre; con todo, esto non vale el casamiento, porque ella non sabia que era servo, quando casò con el.* Si verò contrahens cum ancilla ejus conditionem sciat, quamvis Dominus in matrimonium consentiat, non censetur ei libertatem dare: nam cum ancilla contrahere voluisse creditur eum, qui ejus non ignorabat conditionem, nisi Dominus instrumentum dotis ancillæ confecerit: nam tunc ipsa libertatem acquirit. *L. un. §. 9. C. de Latin. libert. tollend. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 39. §. Septimus est. Gutier. cap. 91. & 5. n. 4. Sanch. de Matr. L. 7. D. 20. ex n. 3. & 9.* qui negat hanc dispositionem extendi ad donationem propter nuptias, quam Dominus servo constituit; contra *Abb. & alios n. 3.* In nostra Hispania Dominus cum sua ancilla matrimonium contrahens hoc ipso ex dispositione juris illi dat libertatem. *L. 1. tit. 13. p. 4. Ca tan gran fuerza hà el matrimonio, que luego que es fecho es la madre, por ende libre los hijos legitimos. Et ibid. Gregor. Lep. Gloss. fin. Sanch. de Matr. L. 7. D. 20.*

n. 12. Hoc impedimentum est jure Ecclesiastico inductum: talis namque error non absolute adversatur bonis matrimonij: nec servus absolute impeditur ab usu libero matrimonij, siquidem debitum reddere potest, & debet, quando legitimum impedimentum non obstat. Nec alia corporum traditio in matrimonio exigitur: nec talis error circa personæ conditionem tollit absolute consentium; sed tantum secundum quid: adeo, ut non sit omnino involuntarium tale matrimonium. *D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 1. ad 3. D. Bonav. D. Anton. Gutierrez. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 16. Gonz. in c. fin. h. t. n. 6.* contra *Magist. in 4. D. 30. cap. 1. Palacios, Sylv. V. Matrimonium, 6. q. 1. Et 8. q. 2. & alios*, qui tenent, matrimonium tali errore contractum esse irritum Jure Naturali ex eo, quod deficiat consensus ad matrimonium necessarius.

97 Quando ergo in matrimonio talis error intervenit, non possunt conjuges sine novo consensu, qui matrimonium faciat commiseri. Quod si matrimonium sit occultum, quod nec ex Parochi, vel testium, qui contractui interfuerunt, ob eorum obitum, nec ex Libro Parochiali probari possit, tunc conjux deceptus potest à tali matrimonio autoritate privata recedere. Si publicum est matrimonium, non aliter quam autoritate Ecclesiæ ab eo recedere licet; *arg. c. 2. c. fin. h. t. c. 3. de Divort.* Et tunc debent duo probari, 1. servitus compartis: & hæc ab ipso allegante probanda est. *L. 2. ff. de Probat.* 2. ignorantia talis servitutis; & hæc regulariter præsumitur. *c. 47. de Reg. jur. in 6.* ac proinde à servo debet probari, cum eo contrahentem habuisse scientiam ejus servitutis; nisi ejus servitus esse communiter nota in loco, & tempore matrimonij initi: nam tunc ignorantiam allegans, eam probare tenetur, quippe non præsumitur ipsum ignorare, quæ alijs sunt communiter nota, *c. 1. de Postul. Pralat. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 19. n. 8.*

98 Servus validè, & licitè potest matrimonium cum persona servilis contrahere. Nam licet in his, quæ Juris Civilis sunt, servi nec velle, nec nolle habere credantur, in his tamen, quæ Juris Naturalis sunt, ut matrimonium, plenam habent libertatem, sicutque juris sunt. *L. 32. ff. de Reg. jur. D. Thom. in 3. p. Snpp. q. 52. art. 2.* Nec attenditur personarum conditio, siquidem matrimonium Jure

Naturali Divino ad propagationem, & conservationem generis humani, & in remedium concupiscentie institutum est. Et sicut servus potest comedere, & dormire, & alia hujusmodi facere in quibus, nec Domino subditur, nec tenetur obedire: ita etiam potest suum corpus conjugii tradere, quantum sufficit ad usum matrimonij, in quo à Domino impeditur nequit: licet non possit illud tradere plenarie, & pro omni tempore. *L. 2. tit. 5. p. 4.* Et licet Jure Civili tale matrimonium non connubium, sed contubernium appelletur. *L. 3. C. de Incest. nupt.* Jure tamen Canonico matrimonium legitimum est. *c. 1. b. t. quia juxta Apost. in Christo Jesu, neque liber, neque servus est à Sacramentis removendus. L. 1. tit. 5. p. 4. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 52. art. 1. ad 1. ibi: Dicendum, quod servitus contrahitur matrimonio, quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest liberè exequi, & quantum ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex servitute parentis: sed quia quilibet potest in eo, quod sibi debetur sponte detrimentum aliquod subire, idè si alter conjugum sciat alterius servitutum: nihilominus tenet matrimonium: similiter etiam, quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, & propter hoc etiam servus, si contrahat cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium. Et sic patet, quod servitus, non impedit matrimonium, nisi quando est ignorata ab alio conjugè, esse ille sit liber à conditionis. Et idè nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum, & ancillam. Expedi tamen, servos sic contrahentes consentium dominorum requirere ob reverentiam ipsis debitam, si non timeant, eos injustè impedituros: non tamen est necessarius dominorum consensus. *c. 1. b. t. cum servi, quoad matrimonium sui juris sint, & etiam Domino repugnante, ipsi contrahere possunt. c. 1. b. t. L. 1. t. 1. p. 4. D. Thom. 4. D. 36. q. un. art. 2. Barbos. & Gonz. in c. fin. b. t. ex n. 2. Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 21. n. 3.* Et licet Dominus, non teneatur in cervi matrimonium consentire, sed possit reniti, peccat graviter contra justitiam si positive impedit matrimonium contrahere, vel post contractum matrimonium duras servum tractet. *Sanct. de Matrim. L. 7.**

*D. 21. n. 5. & 6.* Nec potest Dominus post sponsalia à servo contracta in remotas terras vendendum mittere: nam sic impediret jus quæritum sponsæ. *Sanct. de Matrim. lib. 7. D. 21. n. 9. qui D. 22. n. 12. tenet,* non posse Dominum servum jam conjugatum alio mittere, si uxore nequeat eum commode sequi: quod alij negant: Nam tunc solum usus impeditur: nec debet Dominus privari jure servum vendendi. De Jure tamen Hispano non possunt Domini servos conjugatos ita vendere, ut debeant vivere à suis conjugibus separati. *L. 1. tit. 5. p. 4.*

## TIT. X.

## De Natis ex libero ventre.

99 **O**mnes homines, ait Imperator Justinianus, aut Liberi sunt, aut Servi. Libertas enim, ex qua liberi appellantur, est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibeatur. Servitus autem est constitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. Servi alij sunt ex Jure Civili, cum scilicet, liber homo major viginti annis ad precium participandum seie venundari passus est: aut Jure Gentium, id est, ex captivitate, & appellati sunt servi, eo quod Imperatores captos in bello iusto, vel saltem publicè indicto vendere, ac per hoc servare, nec occidere, jubebant; qui etiam mancipia dicuntur, eo quod à Hostibus manu capiuntur. Capti in bello, quod inter Christianos geritur ex consuetudine generali, non sunt servi ob christianam charitatem, & honorem, ac memoriam libertatis, qua Christus nos à servitute Dæmonis liberavit. At verò Christiani capti à Mauris, vel Turcis habentur ab ipsis tanquam servi, non tamen ut tales à Christianis habentur. Similiter Christiani habent, ut servos Mauros, vel Turcas in bello iusto captos: item etiam Æthiopes, vel Nigros, quos ex varijs Africa Regionibus emunt. *Barbos. in c. un. b. t. n. fin.* Ubi notat, quod tales Æthiopes, si sint majores 20. annis, possunt se ipsos vendere ex consuetudine illarum Provinciarum, vel possunt illos vendere eorum parentes egestate oppressi, si tamen fraude, vel dolo capiuntur, vel abducantur vi, vel allecti, & seducti quibusdam jocalibus, & municipalibus ad Naves ducantur: tunc, nec illi, qui eos capiunt, nec

qui illos emunt, nec qui modo eos possident tuti sunt in conscientia: sed tenentur eos manumittere, & suæ libertati restituere: etsi nequeant pretium recuperare. Mercatores, qui ex ora Malabarica, quotannis in hanc Civitatem navigant; afferunt plures servos ex varijs Provincijs vendendos hic, quos *Vichos*, & *Cafres* appellant, & cum quondam Judex servitutum, & liberatum hic constitutus, qui est unus ex Senatoribus Regiæ Cancellariæ dubitaret de justificatione hujus servitutis de hac re sui consultus; & cum vidissem ipsos Mercatores Titulum asserere, quo Episcopus Meliapurenis in judicio contradictorio cum Promotore Fiscali harum causarum habito, declarat talem Æthiopem, vel Malabarem esse servum ex iusto titulo iudicato, ut tali in Anglorum Tribunali Madraestini, statim respondi, tales etiam hic, ut servos censendos esse: ac proinde, quod Mercatoribus permitteretur, quod eos venderent. Et ita olim responderat D. Antonius de Morga Senator Manilensis, & postea Præses Quitenis. Et sic tenent D. Joannes de Solorzano de *Jur. Indiar. tom. 1. L. 3. cap. 7. n. 115. f. 743. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. 2. D. 36. n. 1. D. Carrasco del Saz ad Leg. Recop. cap. 3. §. 2. de Servis. num. 17. Et P. Joannes de Rivera, qui per plures annos in hac nostra Provincia casibus resolvendis fuit præpositus ait: *Serà conveniente notificarle, que no traygan à vender Esclavos, porque en ninguna manera se los han de comprar, si yà no vienen con Testimonio del Ordinario de Malaca, ò de Goa, ò de otro fues competente, que en tal caso podrá el de Manila passar, como se hace, comprobando los Testimonios: y en esto parece que no hay que poner escrúpulo, porque en la India tienen caudado los Obispos de examinar las Esclavonias, y sobre esta materia huvio Concilio Provincial, donde se ventilo de qué Nación, y por qué causas se havian de dar por Esclavos; y así, quando viene examinado por fues competente, standum est pro illo, y descansar el de Manila, que reconociendo los Testimonios, mas compruebe, que apruebe. Facit text. in c. 7. de Probat. Et ibid. Gonz. At verò in nostris Indijs minime licet, ut servos habere Gentiles, etiam in bello captos. *L. 1. tit. 2. lib. 6. R. Indiar. Solorz. Politic. L. 2. c. 1. f. 65.* In his tamen Insulis sunt servi Christianorum Mauri Mindanaenses, & Joloenses, qui in bello iusto capiuntur. *L. 12. tit. 2. lib. 6. R. Ind.***

100 Denique alij sunt servi ex nativitate, de quibus hic. Licet enim filij quoad nobilitatem, familiam, & honorem patrem sequantur. *L. 19. ff. de Statu homin. c. 3. de Conjug. Servorum:* quoad conditionem libertatis, vel servitutis sequuntur matrem, nisi alia sit consuetudo: nam communiter *partus ventrem sequitur;* sive in matrimonium, sive extra, sive ex propria, sive ex aliena ancilla. *c. un. b. t. L. 7. C. de Res. vinc. L. 2. tit. 21. p. 4. D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 4. Sanct. de Matrim. L. 7. D. 24. num. 1. & 5.* Ac proinde natus ex matre ancilla, quamvis pater sit liber, erit servus. *L. 2. tit. 21. p. 4.* Inter homines liberos alij dicuntur *libertini*, illi scilicet, qui ex justa servitute manumissi sunt, hoc est, quibus est data libertas. Alij sunt *ingenui*, scilicet, qui statim, ac nati sunt liberi sunt, sive ex duobus ingenuis matrimonio editi sint, sive ex libertinis duobus, sive ex altero ingenuo, & altero libertino: imò etiam ex patre servo, si ex libera matre nascantur ingenui sunt, sicut qui ex matre libera, & incerto Patre, natus est, qui vulgo conceptus nuncupatur. Sufficit tamen, liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit, & è contra, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, ille qui nascitur, liber nascitur, qua non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Deinde si ancilla prægnans manumissa est, & libera, licet unico momento sit, & tandem rursus ancilla facta pariat, filius ejus adhuc erit liber; sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur. *Text. in prin. Inst. de Ingentis. L. 5. ff. de Statu homin. L. 2. tit. 21. p. 4. Sanct. de Matrim. lib. 7. D. 24. n. 10. & com. DD. Audiamus D. Thom. in 3. p. Sup. q. 52. art. 2. in corp. ibi: Respondendo dicendum, quod secundum Leges Civiles partus sequitur ventrem, & hoc rationaliter, quia proles habet à patre complementum formale, à matre substantiam corporis: servitus autem corporalis conditio est, cum servus sit, quasi instrumentum Domini in operando, & idè proles in libertate sequitur matrem. Sed in his, que pertinent ad dignitatem, secundum quod est ex forma rei sequitur patrem, sicut in honoribus, & Municipijs, & hereditate, & alijs hujusmodi. Et huic etiam concordant Canon. & Lex Moysi, ut patet Exod. 21.*

## TIT. XI.

## De Cognatione Spirituali.

**I**nter impedimenta dirimentia matrimonium invenitur *cognatio*; quæ triplex est. Alia *carnalis*, alia *legalis*, *spiritualis*: alia: de hac in præfenti, de alijs postea agemus. Hoc ergo impedimentum inducitur, non Jure Divino, quia neque ex factis litteris, neque ex traditione, vel definitione Ecclesiæ constat hoc impedimentum à Christo D. annexum esse alicui Sacramento: neque provenit à Jure Naturali, à quo Sacramenta non dependent in esse, sed solum ex Christi institutione: inducitur ergo ab Ecclesiâ. c. 2. c. 5. 30. q. 1. c. 1. b. t. Et quidem solum est hoc impedimentum annexum baptismo, & confirmationi, non verò alijs Sacramentis. c. fin. b. t. in 6. l. 2. tit. 7. p. 4. Hoc ergo impedimentum invenitur tantum inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum, horumque Patrinos tamquam parentes spirituales. Baptizans, vel confirmans se habet ut Pater: Patrini, & Matrini nomine Ecclesiæ se habent ut Mater ad similitudinem cognationis carnalis. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 56. art. 1. in corp. ibi: *Respondendo dicendum, quod sicut per carnis propagationem homo accipit esse natura, ita per Sacramenta accipit esse spirituale gratiæ: Unde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur est hoc naturale, in quantum est res quadam nature, ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione est aliquomodo naturale alicui in quantum est membrum Ecclesiæ: Et ideo sicut carnis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Et in art. 2. ad 1. ait: Ad primum ergo dicendum, quod duplex est carnalis natiuitas, prima in utero, in quo adhuc id, quod natum est, est adeo debile, quod non possit extra exponi sine periculo: Et huius natiuitati assimilatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est natiuitas ex utero, quando jam quod natum erat in utero tantum, roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere: Et huius assimilatur confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi, &*

*ideo congruè per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio. Et licet Sacramentum poenitentiae tollat peccatum actuale: sicut baptismus tollit originale: item licet confessarius respectu sui poenitentis dicatur Pater spiritualis. c. 8. c. 9. 30. q. 1. hoc non obstante, Sacramentum poenitentiae non inducit hoc impedimentum, ut habet D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 56. art. 2. ad 8. ubi addit: *Nec obstat, quod per poenitentiam tollitur peccatum actuale, quia hoc non est per modum generationis, sed magis per modum sanationis: sed tamen per poenitentiam contrahitur quoddam fedus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem spirituales cognationi simile: ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia: Et hoc ideo, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem, & confitentem, & ob hoc ista prohibitio est inducitur, ut tollatur peccandi occasio. Et ideo hanc circumstantiam exprimentiam esse in confessione tenent Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 55. n. 4. Et alij. Et postea D. Th. ad 9. ait: *Quod Pater spiritualis dicitur ad similitudinem patris carnalis: Pater autem carnalis, ut Philosophus dicit: in 8. Et hic tria dat filio: esse, nutrimentum, & instructionem. Et ideo spiritualis Pater aliquis alicujus dicitur ratione alicujus horum trium: tamen ex hoc, quod est spiritualis Pater non habet spirituales cognationem, nisi conveniat cum Patre, quantum ad generationem, per quam est esse. Ad hanc cognationem contrahendam non est necesse, quod baptismus fiat à Sacerdote, & solemniter, ut regulariter fit. c. fin. b. t. Nam Laicus in necessitate baptizans privatim filium alienum contrahit cognationem spirituales: siquidem in jure non distinguitur, quomodo, vel à quo fiat baptismus: quod expressè habetur in l. 2. tit. 7. p. 4. ibi: *Quæ scilicet que baptizata Obispo, & Clerigo, & Lego, & Varone, & Muger. Abb. Navar. Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 62. num. 10. Gutier. Pont. Laym. Et alij, contra Paludan. in 4. D. 42. q. 1. art. 1. conclus. 4. Et alios. Et hac ratione, qui in baptismo privato tenet baptizatum animo obeundi munus patrini, & susceptoris contrahit cognationem spirituales. Navar. Man. cap. 22. n. 4. Suar. 3. p. q. 67. n. 8. Laym. Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 40. n. 5. Et alij, contra Sotum, Gutier. Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 62. n. 14. Barbos. in c. fin. b. t. Nisi forte, ut plerumque fit urgente necessitate, tantum materialiter baptismum teneat,****

neat, non animo subeundi Patrini munus: quippe tunc non contrahit cognationem spirituales. Et licet in baptismo solemniter ex antiquissimo usu Ecclesiæ necessario Patrini sit adhibendus. c. 100. de Consecr. D. 4. in privato tamen potest adesse, sed non necessario adesse.

102. Olim triplex erat spiritualis cognatio. 1. inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum, necnon inter Patrini baptizati, vel confirmati, & ipsum baptizatum, vel confirmatum. Nam baptizans, & confirmans, & Patrini se habebant, ut spirituales parentes baptizati, vel confirmati; & hac cognatio, dicebatur *Paternitas directa*. c. 5. 30. q. 1. l. 1. tit. 7. p. 4. ibi: *Aquel que le baptiza, & todos los otros que le facan de pila, quier sean varones, & mugeres, todos son Padres espirituales de aquel niño. Paternitas indirecta* erat inter uxorem baptizantis, & Patrini, & quidem carnaliter cognitam, quia facta fuit una caro cum baptizante, vel Patrino: & baptizatum. c. 1. b. t. in 6. 2. Inter baptizantem, & confirmantem, & Patrinos ex una parte, & ex altera inter parentes baptizati, vel confirmati. c. 3. 30. q. 4. c. 4. c. 6. b. t. Et dicebatur *compaternitas directa*. Siquidem sunt compatres parentes carnales & spirituales. *Compaternitas indirecta* erat inter uxorem baptizantis, & Patrini carnaliter cognitam ex una parte, & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera. c. 1. c. 3. 30. q. 4. 3. Inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, aut Patrini ex una parte, & ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera, & dicebatur *fraternitas*: nam cum baptizans, & confirmans, & Patrini sint compatres baptizati, & confirmati, eorum filij sunt quasi fratres baptizati, & confirmati. c. 2. c. 3. 30. q. 3. c. 7. b. t. c. 1. cod. in 6. Quæ omnia habentur in l. 1. tit. 7. p. 4. Gonz. in c. fin. b. t. n. 10. Et alij.

103. Hodie per *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.* magna ex parte temperatum est hoc impedimentum: quippe solum contrahitur hæc cognatio in baptismo inter baptizantem, & baptizatum: inter Patrini, & baptizatum: quæ cognatio *paternitas* dicitur: & inter baptizantem, & Patrini ex una parte, & ex altera inter patrem, & matrem baptizati, quæ *compaternitas* dicitur. Similiter in confirmatione datur solum cognatio inter confirmantem, vel Patrini ex una parte, & inter confirmatum, & eju-

que patrem, & matrem ex altera. Hinc nullum est impedimentum. 1. inter baptizatum, vel ipsius patrem, & uxorem baptizantis, vel Patrini. 2. inter baptizatum, vel confirmatum, & filium baptizantis, confirmantis, vel Patrini. 3. Inter ipsos Patrinos, v. g. si vir, & foemina sint Patrini in aliquo baptismo: ac proinde si vir, & uxor sint Patrini non contrahunt impedimentum ad debitum petendum. 4. Inter baptizantem, vel confirmantem, & Patrini. *Navar. Man. cap. 22. n. 39. Suar. 3. p. q. 67. art. 8. Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 54. ex n. 10. Gonz. in c. fin. b. t.*

104. Licet olim prohibitum esset, ut in baptismo, vel confirmatione adhiberentur plures Patrini. c. 101. de Consecr. D. 4. si tamen defacto plures adhiberentur, omnes contrahebant cognationem. c. fin. b. t. in 6: sed hodie ex *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.* Unus tantum Patrini, vel ad summum unus, & una à parentibus electi sunt adhibendi in baptismo. In confirmatione tamen unus, vel una tantum potest adhiberi. c. fin. b. t. in 6. Suar. Gonz. in c. fin. b. t. n. 7. Et alij. Quod si præter unum, vel unam assignatos alij baptismum tetigerint non contrahunt cognationem. Si pater baptizandi assignet duos mares, vel duas foeminas, & non repellatur à Parocho, sed simul teneant baptizatum, licet pater in assignando, & Parochus in admittendo contra *Trid.* peccent, omnes tamen, qui tangunt, contrahunt cognationem spirituales: quia in ipsis omnes conditiones ad eam contrahendam inveniuntur. Si verò Parochus aliquem ex assignatis eligat, ceteros excludit: ac proinde ille tantum contrahit cognationem. Si ex negligentia parentum, & Parochi nullus sit assignatus, & plures teneant baptizatum, omnes cognationem contrahere, tenent *Henriq. Navar. Man. cap. 22. n. 39. Et alij.* sed cum intentum *Trid.* sit, hanc cognationem restringere, & in nullo ex tangentibus inveniatur conditio à Concilio requisita, scilicet, parentum, & Parochi assignatio, dicendum est, nullum contrahere cognationem. *Suar. in 3. p. q. 67. art. 8. Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 57. num. 12. Gonz. in c. fin. b. t. n. 7.* ut ergo hæc cognatio contrahatur, 1. debet valide conferri baptismus, vel confirmatio; si enim hæc Sacramenta nulla sunt ex aliquo defectu corrupti accessorium, quale est cognatio. c. 42. de Reg. jur. in 6. Quod enim

enim nullum est, nullum producit effectum. c. 52. de Reg. jur. in 6. Et sic in reiteratione horum Sacramentorum, cum hæc non valeat secundo conferti, non contrahitur talis cognatio. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 62. n. 5.* requiritur, quod Patrinus sit fidelis, seu baptizatus: & ut sit Patrinus in confirmatione debet esse confirmatus, ut contra alios tenent *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 60. n. 20. ex c. 102. de Conf. D. 4. ibi: In baptisate, & in chrismate* (hoc est in confirmatione) non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Quod si defacto baptizet, aut levei infidelis, etiam si catechumenus, baptizatum, vel confirmatum, non contrahit cognationem spirituales; etiam si talis infidelis postea baptizetur; sicut nequit cognationem carnalem contrahere, qui non est carnaliter natus, ut contra *Arebid. Sor. Enriq. & alios* tenent *D. Thom. in 4. D. 42. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. Navar. Palacios, Sanch. de Matr. lib. 7. D. 60. ex n. 7. Gonz. in c. fin. b. t. n. 9.* Nec infidelis, cum Ecclesia Legibus non subjiciatur potest cognationem spiritualem a Lege Ecclesiastica manantem, contrahere; *arg. c. 8. de Divort.* Et hæc ratione, cum cognatio spiritualis non minus, ac carnalis debeat esse mutua, & reciproca, si fidelis baptizet, vel teneat in baptismo filium infidelis, licet cum baptizato contrahat cognationem spiritualem, quia illius est capax, eam non contrahit cum parenti infideli, quia incapax illius est. Sic contra *Enriq. & alios* tenent *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 60. n. 14. Palacios, & alij.* At verò si hæreticus baptizet, vel etiam teneat in baptismo filium catholici, licet malè faciat: vel si catholicus baptizet, vel teneat in baptismo filium hæretici, contrahitur inter ipsos cognatio spiritualis. Nam cum hæreticus sit baptizatus subditur Legibus Ecclesiæ. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 60. n. 2.* Patrinus debet habere intentionem obeundæ patris munus: quod si hæc habeat intentionem, licet profertetur, nolle cognationem contrahere ipsam, ut annexam ex dispositione Ecclesiæ muneri patris, contrahit. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 58. n. 4.* Nec protestatio, utpote facta contraria, obstat. Hinc, qui credens, levare filium Sempronij, teneat filium Caji, nec cum filio Sempronij, quem non levavit, nec cum filio Caji, ex def. animi, & intentionis contrahit cognationem, nisi intentio fe-

ratur in præsentem, quicumque sit. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 58. n. 7. Joan. Andr. sicut in illum, qui baptizatur fertur à baptizante. 4. Patrinus debet tenere in actu baptisimi, vel confirmationis baptizatum, vel confirmatum juxta morem loci, etiam si infans sit vestibus contectus, vel in disco, aut linteo teneatur. Hinc, quando puer domi baptizatur Patrinus erit, qui domui tenuit eum, non qui tenet in Ecclesia, quando solemnitates supplentur. Quando in dubio iteratur baptisimus sub conditione, si postea constet, primum baptisimus; v. g. fuisse validum, qui tunc tenuit tantum contrahit cognationem: dum non constet, Ecclesia cognationem præsumit in secundo. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 62. n. 6.* Nec sufficit sola assistentia, vel responsio ad interrogata baptizantis, sed est necessarium baptizandum, etiam adultum tangere; *arg. c. 5. 30. q. 3. c. 3. 30. q. 4. c. 1. b. t. in 6. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 56. n. 5.* non tamen requiritur ad cognationem contrahendam, quod Patrinus respondeat: quippe in jure solum susceptionis, non autem responsionis fit mentio. c. 1. b. t. in 6. *Sylv. Covarr. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 56. num. 10.* contra aliquos.*

105. Hæc cognatio, cum sit impedimentum dirimens, si superveniat sponsalibus ante matrimonium, sponsos ad ipsum reddit incapaces, sicut affinitas, & cognatio naturalis. Nec finitur morte personæ, qua mediante, est contracta hæc cognatio: si verò superveniat matrimonio contracto, cum non possit jam illud dissolvere; solum potest privare petitione debiti sic impediri. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 54. n. 4. & 5.* Pater (idem de matre dicendum est) suum filium in necessitate baptizans, non contrahit cognationem spiritualem cum suo conjugē, ita ut privetur jure petendi debiti, vel liberetur ab obligatione reddendi. c. 7. 30. q. 1. L. 6. tit. 7. p. 4. Idem est, si suum filium tantum materialiter teneat in baptismo, non animo exercendi munus susceptoris, sed ut commodius baptizetur, vel etiam si Patrinus in baptismo, vel confirmatione, si alius non potest haberi: nec etiam quando extra casum necessitatis filium proprium baptizat, vel levat ex ignorantia probabili juris, vel facti: & juxta aliquos, etiam ex ignorantia crassa, dum non sit affectata: vel non sit ita crassa, ut ignorare sit ingens temeritas: qua hæc

## TIT. XII.

## De Cognatione Legalis.

hæc privatio, quando jam est jus quesitum est poena: ac proinde non incurritur, quando necessitas, vel ignorantia excusat, consequenterque ille non est privandus jure petendi. *Barbos. in c. 2. b. t. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 7. Sanch. de Matr. lib. 9. D. 26. & D. 32.*

106. Quod si parenti non sit quesitum jus per matrimonium; v. g. si filium proprium ex concubina susceptum baptizet, vel levei, etiam in necessitate, cognationem spiritualem, & impedimentum dirimens contrahit cum matre. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 62. n. 12. Fagnan. in c. 2. b. t. & alij,* similiter si sponsus etiam in necessitate baptizet, saltem scienter filium suæ sponse, cum nondum sit illi jus quesitum per matrimonium, tale impedimentum, etiam sine culpa contrahitur: non quidem ut poena; sed ut inhabilitas Canonica ad matrimonium contrahendum. *Navarr. Man. cap. 16. num. 34. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 8. ex n. 6.* Pater, qui filium ex legitima uxore natum extra necessitatem scienter, vel etiam ex malitia, ut alterum usum matrimonij privet, baptizat, vel tenet in baptismo, vel confirmatione, privatur potestate debiti petendi: at verò illud reddere tenetur. Nam in c. 2. b. t. ait Pontifex: *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolari.* Et cum tantum patrocinaretur dolo suo fraus, si à debito reddendo eximeretur: nam interdicta ipsi petitione debiti potius ipsi obest sua fraus, & dolus: inde est, quod solum potest reddere, non vero petere. *D. Thom. in 4. D. 42. q. 1. art. 1. in corp. D. Bonavent. ibid. P. Antonin. Sylv. Navarr. Palac. & plur. cum Sanch. de Matrim. L. 7. D. 22. ex n. 6. contra Gloss. in c. 2. b. t. V. Institutum. Et alios,* inter quos *Suar. in 3. p. q. 67. art. 8. §. Quo circa,* quæ sententia valde probabilis est, etiam si unicus *Suarez* ipsi patrocinaretur, à quo dolens, & invidiosus recedo. Tandem in cognatione spirituali, cum à Jure Communi proveniat, solus Papa dispensat. Et quidem in compaternitate facile dispensatur, si iusta causa adit, in paternitate verò ob indecentiam contrahendi cum filia spirituali, vel nunquam, vel difficillimè dispensatur. Et ideo, qui dispensationem impetrat, & hoc debet exprimere.

*Sanch. de Matr. L. 8. D. 19. n. 7. & D. 24. n. 15.*

107. INTER alias species cognationis, quoad matrimonium dirimenda, invenitur cognatio Legalis: cognatio Legalis dicitur, quia à Legibus est orta. *L. 14. L. 17. L. 55. ff. de Ritu nuptiar.* est tamen jure Canonico approbata, & admittitur. c. 1. c. 5. 30. q. 3. c. un. b. t. Hæc enim est propinquitas, seu proximitas personarum ex adoptione proveniens. *L. 7. tit. 7. p. 4. ibi: Por fixamiento es una manera de parentesco, seu estableció el fuero de los Legos, porque se embargan los casamientos.* Adoptio enim, quam Cajus naturæ similitudinem designavit, ut aliquis filium habere possit, quem non generavit, est assumptio personæ extraneæ (id est, quæ in adoptantis potestate non sit, licet aliunde sit consanguinea) in filium, nepotem, pronepotem, & c. *L. 1. L. 11. ff. de Adoption. D. Thom. in 4. D. 42. art. 1. Sanch. de Matr. L. 7. D. 63. n. 1.* Hinc est, quod iusti per gratiam habitueli filij adoptivi Dei continentur, quia cum sint extraneæ à Deo habentur tanquam filij quodammodo specialia: & non solum ea generalitate, qua omnes homines, etiam peccatores sunt filij Dei, eumque Patrem inquam, dum dicunt: *Pater noster, qui es in Cælis.* Hæc enim specialis filiatio habetur per gratiam justificantem per quam juxta *D. Petrum, Ep. 2. cap. 10. efficiamur Divina consortes natura.* Præterea iusti ordinantur ad hereditatem gloriæ æternæ per munus gratiæ acceptum. At verò in Christo Domino, licet gratia habitualis inveniat, non producit hunc effectum formalem, eum constituendo filium Dei adoptivum ex defectu extraneitatis. Si quidem est filius Dei naturalis. Ac proinde dicendum est, quod ad adoptionem duo requiruntur. 1. ut adoptatus in filium assumatur. 2. ut ipse sit persona extranea respectu adoptantis. *D. Thom. in 3. p. q. 3. art. 5. ad 2.* Et ut nullum maneat equivocationis offendiculum, quintuplex filiorum differentia distingui oportet, secundum quintuplicem similitudinem: *Secunda enim Persona S. Trinitatis est Filius Dei naturalis; quia Pateris, & Filius una est natura, & gloria. Etiam Deus dicitur Pater creaturarum irrationalium, secundum illud Job 38. Quis est puerus Pa-*

ter, aut quis genuit stillas rosis? Sed secundum similitudinem vestigijs tantum. Etiam dicitur Pater creaturarum rationalium secundum similitudinem imaginis, secundum illud. Deuter. 32. Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te? Aliquorum est Pater secundum similitudinem gratiae, qui dicuntur filij adoptivi, quia ordinantur ad hereditatem gloriae per gratiam juxta illud ad Rom. 8. ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei: si autem filij, & heredes. Aliquorum denique est Pater secundum similitudinem gloriae, prout jam gloria hereditatem possident: juxta illud ad Rom. 5. gloriamur in spe gloria filiorum Dei. Sic Angelicus D. qui nihil non Angelice tractat. 1. p. q. 33. art. 3. in corp.

108 Adoptio est duplex; alia fit Principis auctoritate, quando, scilicet, Paterfamilias, seu ille, qui sui juris est adoptatur, & dicitur *Arrogatio*; & non solum ipse transit in adoptantis potestatem, & sicque haeres necessarius, tam ab intestato, quam ex testamento; sed etiam liberi, si quos habet, in potestatem adoptantis, tanquam nepotes transeunt. Alia fit Imperio Magistratus habentis Legis actionem. L. 4. ff. de Adopt. id est, merum; & mixtum imperium: & dicitur *Adoptio specifica*, quando scilicet, filius familias in alterius familiam transit. Et quidem ex constitutione Justiniani solum filius familias in adoptantis potestatem transit, quando adoptatur ab avo materno (vel etiam paterno, quando Pater est emancipatus) quippe tunc in una persona concurrunt iura naturalia, scilicet, sanguinis, & civilia, scilicet, adoptionis. 1. pen. C. de Adopt. L. 7. tit. 7. p. 4. Sanè foemina non potest aliquem adoptare, quia filium non habet in potestate, nisi ex privilegio Principis. Nec minor natu valet adoptare majorem: sed adoptans debet praecedere adoptatum plena pubertate, hoc est, decem, & octo annis. Adoptio namine naturam imitatur, & pro monstro haberetur, quod major esset filius, quam Pater. Et hac item ratione, qui generare non potest, ut caltratus nequit adoptare, nisi hoc impedimentum per accidens sit, ut in spadonibus; & sacerdotibus: qui proinde adoptare possunt. Hoc ergo cognitionis impedimentum est annexum jure Ecclesiastico adoptioni: ne facile in libidinem, & incontinentiam inciderent conjuncti cognitione Legali, in quam facile specialis amor, familiaritas, & conjunctio incli-

narent, si ipse matrimonij hoc impedimento non tolleretur. Et etiam, quia honestas non patitur eos matrimonio jungi, qui parentum, filiorum, aut fratrum loco censentur. Barbof. in Rubr. b. t. n. fin. Cum ergo Jure Communi hoc impedimentum sit indistinctum, solus Papa in eo dispensat. Et quidem difficillime in linea recta. Hoc igitur impedimentum oritur, non solum ex adoptione, per quam quis in potestatem adoptantis transit; sed etiam ex adoptione, per quam quis extraneo adoptatur, & in cujus potestatem non transit. Nam cum text. in c. un. b. t. c. 1. c. 6. 30. q. 3. L. 14. ff. de Ritu nuptiarum generaliter loquantur, generaliter intelligi oportet: & praecipue constat ex L. 7. tit. 7. p. 4. Et ibid. notat Gregor. Lop. V. Que por siaron. ibi: Ex ista littera sic generali videtur, quod ista Lex voluit quod non solum arrogatione durante: sed etiam adoptione: nam de utraque promittit ista Lex, non possint filij adoptivi contrahere cum naturalibus filijs adoptantis. Et hanc opinionem tenent Gloss. in c. un. b. t. D. Antonin. Secor. Covarr. Toled. Barbof. in Rubr. b. t. n. fin. Gonz. in c. un. b. t. n. 9. in fin. contra Innoc. Sylo. Sanchez. de Matr. L. 7. D. 63. n. 9.

107 Hujus quidem cognitionis tres sunt species. 1. in linea recta, & dicitur *Paternitas*, estque inter adoptantem, & adoptatum, & ejusque descendentes in ejus potestate existentes. L. 55. ff. de Rit. nupt. c. 1. 30. q. 3. 2. est in linea transversali inter filios naturales adoptantis in ejus potestate existentes, & filium adoptatum, diciturque *fraternitas*. L. 17. ff. de Ritu nupt. c. un. b. t. 3. est *affinitas* inter adoptantem, & adoptati uxorem. L. 14. ff. de Ritu nupt. Et sanè cum nostri Tituli Rubrica generalis sit, has tres species continens, & ex hoc approbat Jure Canonico credantur, & in omnibus eadem ratio vigeant: dicendum est, omnes inducere impedimentum dirimens matrimonium. Quod expresse habetur in L. fin. tit. 7. p. 4. ibi: *Esse parentesco, d' casuadex, que se face, segun mandan las Leyes, non embarga tan sola-mente el casamiento, mas desfacelo si se face fecho.* Et ibid. Greg. Lop. Sanchez. de Matr. L. 7. D. 63. n. 12. Profecto si ve haec cognitio praecedat, si ve superveniat sponsalibus, ea dissolvit: si quidem sponsus reddit inhabiles ad matrimonium, cum sit impedimentum dirimens. Si vero matrimonio jam contracto superveniat, nec

ipsum dissolvit, quia indissolubile est, nec sic conjunctos privat petitione debiti, quia ad ipsum habent jus ex matrimonio adquisitum, & aliunde nullo Textu prohibetur. Sanchez. de Matrim. lib. 7. D. 63. n. 19. Gonz. in c. un. b. t. n. 10. 1. species cognationis dirimit perpetuo matrimonium. Nam etiam ablata per emancipationem adoptione, adhuc nequit pater ob honestatem, & decentiam cum sua filia, vel nepte adoptiva contrahere. L. 55. ff. de Rit. nupt. c. 1. 30. q. 3. 1. 7. tit. 7. p. 4. Et hoc impedimentum inter adoptantem, & adoptatum, & ejusque ascendentes, vel protrahitur in infinitum juxta. D. Thom. in 4. D. 42. q. 2. art. 3. in corp. D. Antonin. Sanchez. de Matrim. lib. 7. D. 63. n. 34. vel usque ad 4. gradum juxta Naacar. Sot. Toled. Valent. & alios. 3. species, etiam soluta per emancipationem adoptione, obstat ad matrimonium contrahendum propter reverentiam, quam tales conjuncti, sibi invicem habere debent, scilicet, tanquam Nurus fecero, & privignus noverca. L. 14. ff. de Ritu nuptiarum. L. fin. tit. 7. p. 4. 2. vero tantum durat, quantum durat adoptio, & ex proinde hac per emancipationem soluta, potest filius naturalis adoptantis cum sua sorore adoptiva contrahere; nam tunc jam sunt inter se extranei, & est finita cognatio. c. 6. 30. q. 3. c. un. b. t. L. 17. ff. de Ritu nuptiarum. L. 7. tit. 7. p. 4. Sanchez. de Matr. L. 7. D. 63. ex n. 24. Barbof. & Gonz. in c. un. b. t. n. 3. & 10.

110 Non prohibetur matrimonium contrahi etiam adoptione stante. 1. inter adoptantem, & matrem adoptati. D. Thom. in 4. D. 42. q. 1. art. 3. ad 1. 2. inter adoptantem, & filiam illegitimam adoptati; quia haec non est in adoptantis potestate. Nec inter filium illegitimum adoptati, & filiam adoptivam, nec vicissim. 3. inter adoptantem, & filiam adoptatam: nam haec non transit in potestatem adoptantis: siquidem non est in matris adoptatae potestate. 4. inter filium, & filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nulla ligantur cognatione. 5. inter duos filios ab eodem adoptante adoptatos: nam in c. un. b. t. agitur de filia naturali adoptantis, quae sit per adoptionem soror filij adoptivi, & impedimentum, utpotè odiosum, non est extendendum; arg. c. 15. de Reg. jur. in 6. & expresse habetur in L. 7. tit. 7. p. 4. Sanchez. de Matrim. lib. 7. D. 63. ex n. 26. ubi plures Auctores refert, qui praedictos casus

comprobant, & etiam, qui contrarium sentiant. Lacroix L. 6. p. 3. ex n. 587. ubi has lineas, & gradus specificè asert, sed cum jam nullus, vel ferè nullus hujus adoptionis usus sit, praecipue in nostra Hispania, vix hoc impedimentum invenitur.

## TIT. XIII.

## De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae.

111 IN hoc titulo, & sequenti agitur de cognatione naturali, vel carnali, quae est vera, & propria cognatio, & est duplex: *consanguinitas*, scilicet, & *affinitas*. Affinitas siquidem potest, vel a copula licita, vel ab illicita provenire: nam quamquam Jure Civili cognatio, vel affinitas solum ex iustis nuptijs oriretur. L. 4. §. 8. de Grad. & affinit. secus est de Jure Canonico. Et de hac agitur in praesenti titulo, cujus Rubrica, & alij Textus, licet loquantur de viro cognoscene sua uxoris, vel sponsae consanguineam, etiam intelligi debent de foemina, quae copulam habuit cum sui mariti, vel sponsi consanguineis. Quippe vir, & uxor, sponsus, & sponsa sunt correlativa, & in eis eadem ratio militat: imò & de ipsis foeminis expresse loquuntur. Text. c. 20. §. 2. q. 7. c. 9. 34. q. 2. L. 13. tit. 2. p. 4. D. Anton. Sylo. Guvier. Sanchez. de Matrim. lib. 7. D. 15. n. 2. Barbof. in c. 4. b. t. n. 6. & alij. Affinitas, etiam ex copula illicita olim ad quartum gradum extendebatur; arg. c. 8. de Consanguin. & affinit. Sed ex Trid. sess. 24. de Reform. Matr. cap. 4. non excessit secundum gradum: ac proinde maritus non privatur jure petendi debitum, nisi cum consanguinea suae uxoris in primo, vel secundo gradu copulam habeat. Sanchez. de Matrim. lib. 7. D. 15. n. 4. Et L. 9. D. 27. n. 14. Barb. & Gonz. in c. fin. b. t. n. 5. Et declaratum est à Sac. Congreg. Concil. si sponsus cognoscat suae sponsae consanguineam, incurrit impedimentum dirimens ex tali affinitate ortum ad contrahendum matrimonium cum sua sponsa, & ejus consanguineis in primo, & secundo gradu conjunctis. Et similiter sponsa incurrit impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium cum sponso, & ejus consanguineis in 1. & 2. gra-